

praeter se ipsum et Quintilianum ante illum diem ignorasse, hunc intrinsecum nuncupabat. Ita magnus iste philozophus magis quam philosophus duos diversos fines, quorum alter sub altero non continetur, rei unius constituit, quod impossibile penitus est. Alteram in medium protulit quaestionem, quod finis, cuius gratia rerum naturalium generatio fit, ipsa inducenda in materiam forma esset. Ferreum hominem, qui non potuit adhuc discere nihil aliud esse generationem quam inductionem formae in materiam. Unde si forma generationis sit finis, G 4 sequitur idem sibi ipsi finem esse, quod ridiculosissimum invenitur. B 4<sup>v</sup> Quare non immerito exhibilatus etiam a pueris tunc, numquam deinde 10 huiusmodi disserere aliquid, immo ne grunnire quidem ausus est.

4 Ego autem tum, quia Graecus esse videtur, tum vel maxime, quia similes ignorantium iniurias non persequi, sed contemnere consuevi, dum modestia patientiaque mea non nimium abutantur, nihil umquam feci, nihil dixi, nihil cogitavi, quod Cagem posset offendere. 15 Unde credo animos ipsum adeo extulisse, ut per Andream Contrarium, quendam hominem impurum, ad pontificem Nicolaum quintum, a quo praecipue ipse, quia Constantini urbem a summo pontifice defendi tam verbis quam scriptis oportere praedicabam, multis incommodis afflictus sum, litteras miserit, quibus me absentem innocentemque 20 conabatur opprimere ac dedecore, quanto poterat, per iniuriam et nefas afficere. Haec omnia sic ipsi prae modestia nos condonarem, ut nisi perseveraret in maledicendi malefaciendique, quantum in ipso est, proposito, nisique Aristotelis problemata deïici mala interpretatione sua videremus, hunc scribendi laborem non approbavissemus, quippe qui 25 videamus non esse nobis honori amentium sceleratorumque iniurias persequi. Verum quoniam tanto est cuiquam repulsio iniuriae, quamvis B 5 impotentis, ac defensio sui honestior atque laudabilior, quanto una omnes a legendis interpretationibus perfidia ignorantiaque depravatis G 4<sup>v</sup> revocantur, non magis nostram, quippe qui numquam de Theodoro 30 calcitrante curavimus, quam philosophiae ipsius ac veritatis protectionem libenter suscepimus.

3, 1 Breviter igitur primum, quam indoctus in eligendis verbis sit, deinde quam rudis in intelligendo Aristotele et callidus in depravando sensum ipsius, dicemus. Et sic ante oculos omnium ponere curabimus, 35 quanta obscuritas, quanta dicendi asperitas, quam horrida componendi durities, quam aliena verborum a consuetudine latine dicentium potestas, quam inepte omnia denique in oratione sua inveniantur. Nam et verba nec rebus accommodantur nec inter se commode connectuntur et a Carmenta usque repetita in philosophiam irruerunt, et res non 40 luce orationis explicatae, sed inepta garrulitate implicatae atque im-

peditae iacent adeo, ut percipi nequeant. Quam longe vero ubique fere a sensu Aristotelis aberret, paucis et quidem sic explanabimus, ut graecis litteris non egeamus. Translatum enim multo ante nostra tempora id Aristotelis opus fuit, sicut parum latine atque hac de causa  
 5 obscure, ita fideliter integreque, ut sensus aut nusquam aut in admodum paucis violatus esse videatur. Quare si ea ex traductione nonnullos B 5<sup>v</sup> transcripserimus locos et statim Theodori subiecerimus ineptias, facile omnes, qui latine sciunt, sive scelus sive dementiam ipsius videbunt sive utrumque. Vix enim mihi persuadeo tantam esse hominis posse  
 10 ignorantiam, qui aliquam litteris operam dederit, ut nihil mentis habere in traducendo videatur aut tantam stoliditatem, ut quae nullo percipiat G 5 pacto, ea interpretando depravare audeat atque subvertere.

Sed ne longior nobis fiat oratio, ad rem ipsam accedemus, si prius 2 illud admonuerimus propriis rerum tritisque consuetudine auctorum  
 15 verbis facile ad eorum intelligentiam legentes adduci, novis inusitatisque nihil recte intelligere posse. Trita vero usitataque scimus aliter plerumque ab aliis capi. Multa enim aliter philosophi, aliter rhetores, et Aristotelici aliter multa, aliter Platonici. Quare qui Aristotelem interpretatur, ipsum sequi debet, non alios. Nam si alios sequetur,  
 20 non vertit, sed pervertit evertitque omnia.

Problema quaestionem esse ait, cum quaestio, ut omnes aiunt, 3 propositio sit dubitabilis. Problema vero ne unum quidem inter innumerabilia paene Aristotelis problemata inveniatur, quod ambigue propositum sit, ut vel cuilibet caeco insanoque homini pateat sensu  
 25 certius ipso quiddam ab Aristotele semper sic proponi, ut nullo pacto B 6 de re, sitne an minime, ambigatur, sed vel per sensum certioris rei ratio quaeratur. Problema enim est, ut capitur hic, rationis rei sensu patentis inquisitio. I egite ipsius philosophi libros problematum, si qua rerum istiusmodi cura est, quaeso, si unum de mille vel alterum problema  
 30 reperitis, cui aut quaestionis definitio conveniat aut haec problematis non congruat. Enumeretur inter praeclaros Cages philosophos, ad caelum laudatores sui omnium quasi viri probi ac docti praeconio G 5<sup>v</sup> extollantur, sin nulli problematum ab Aristotele conscriptorum quaestionis definitionem accommodare poteritis.

35 Quomodo mentem hominis in eo esse putabitis, qui, cum plura 4 quam mille traduxit problemata, ne res quidem sensu patentes proponi percipere potuit? Quomodo sensum ei hominis concedetis, qui quae in promptu sunt, ea quasi latentia quaerantur, quaestiones appellat? Quomodo denique recte aliquid ab eo versum conicietis, qui rem  
 40 ipsam, qua de Aristoteles tractat, penitus ignoravit? Quid problema

7 subiecerimus G subiceremus B | 30 definitio G diffinitio B | 34 definitionem G diffinitionem B | 38 promptu G prontu B

sit, non vidit. Quae de problematibus scribuntur, vidit. De quo tractatur, ne sensit quidem, et quae dicuntur, percipit, nisi certe ignoratis prin-  
 B 6<sup>v</sup> cipiis cetera sciri possint, aut in aëre non iactis fundamentis condi-  
 suspensa domus queat. Quodsi rationes sintne an non, quidem quaestio  
 est, — ita enim semper usurpatur — sed rationes dilucidissimarum 5  
 rerum afferri ab Aristotele Cages non intellexit, si nomen ipsum proble-  
 matis, quo universum hoc continetur negotium, in quo nomine per-  
 cipiundo non minus operae, studii, curae, laboris, diligentiae impenden-  
 dum erat quam in ceteris simul omnibus, quae in eo codice conscribun-  
 tur, si haec, quae fundamenta principiaque sunt, quomodo hic capiantur, 10  
 assequi doctus homo non potuit.

5 Iam ex his paucisque cuncta complectuntur atque ambeunt.  
 G 6 Quis non perspiciat, qualia cetera sint, quae scripsit, quamque digna  
 lectitatu? Nec enim quispiam nisi omnino mente captus Cagisque  
 similis rationes ipsarum rerum, sintne an non, quasi ambiguas quaeri ab 15  
 Aristotele umquam contendet. Nam si sic esset, propositarum ambigue  
 rationum ad utramque partem aut saltem ad alterum argumenta  
 inducerentur. Quod in nullo problematum esse factum videmus. Cages  
 autem, quasi expositae rationes quaestiones essent, ambigendo ipsas  
 subiungit, »an« ubique ambigendi notam in solutionibus praeponens. 20  
 Nam cum interrogationem, cur aliquid fiat, proposuerit, illico infert  
 B 7 »an quia«. Id vero a sensu philosophi, hoc est a rebus ipsis alienissimum  
 est, primum quoniam nihil penitus doctrinae legentes inde assequi  
 possunt, ubi omnes dubitando rationes, nulla affirmando aut negando  
 profertur, deinde quoniam nemo umquam praeter Cagem hoc instabili 25  
 lubricoque docendi genere usus est. Accedit, quod particula »e« longa,  
 quae ab Aristotele semper fere in solutionibus ponitur, solvendi nota  
 est, non ambigendi. Nec ambigendi umquam apud Graecos invenitur,  
 nisi quando post »poterum« graece, id est latine »utrum«, infertur, quo  
 dicendi genere, quando res postulat, Aristoteles utitur. Solvendi ergo 30  
 nota vel vox, si cui sic placet appellare, dicenda est. Id ita esse omnes  
 Aristotelis expositores una voce testantur. Nam et Graeci plerique, in  
 locis physicorum metaphysicorumque ubicumque similiter eadem parti-  
 G 6<sup>v</sup> cula ponitur, solutionem per eam significari <existimant> solutivamque  
 aut diasapheticam, id est expositivam, nominant. Nec est ullus medio- 35  
 criter doctus, qui hoc ignoret. In omnibus enim et maxime vetustis  
 codicibus physicorum Aristotelis super huiuscemodi particula expositio  
 eadem invenitur. Et Latini, quamvis in disiunctivam interpretes prisci  
 verterint, — disiungendi enim vocem »aut« pro ea posuerunt — rebus

1 problematibus] problematis G B | 2 percipit G perceptit B | principiis B prin-  
 cipii G | 4 rationes scripsi cf. infra 15] non res G B | quidem B quod G | 5 ratio-  
 nes B rationem G | dilucidissimarum] dilucidissimarum G B

tamen ipsis coacti, quamquam nullam »aut« vox nisi disiunctivam habet B 7<sup>v</sup> potestatem, pro solutionis tamen nota in locis semper similibus acceperunt.

O rudes insanosque homines, laudatores Cagis! O supinae ignorantiae pecudes potius quam viros dixerim! Particulae, quae nihil aliud latine quam disiunctionem significat, homines in philosophia peritissimi rebus coacti, quas sequi omnes praesertim philosophiae professores debent, solvendi potestatem attribuunt. Ipsi graecae linguae magistri et latinae praecipui, ut putant, auctores contra naturam rerum ambi-  
 10 gendi vim illi voci conantur in eisdem locis intrudere. Nec philosophorum auctoritate moventur nec scriptorum graecorum, id est oratorum atque historicorum, usum formidant, nec ipsa natura rerum impudentissima possunt ora sua contundi. Invenitur enim diasaphetice, expositive solutiveque, ut sic dicam, »e« particula vulgo apud illos posita.  
 15 Legant, quaeso, qui graece sciunt, imperatoris Iuliani, viri eloquentiae priscae, atticeque ita loquentis, ut nulli Atheniensium cedat, laudes ab ipso in Eusebiam editas. Nec enim multum operae consument. G 7  
 Nam statim in exordio »e« particula diasaphetice ac solutive sic aper-  
 tissime ponitur, ut etsi Cagis laudatores non longe a canibus impudentia  
 20 nec procul a porcis spurcitia absunt, negare tamen non possunt.

Curabitur forte aliquis, quid sit, quod eos a veritate, quae a rebus  
 7 ipsis praedicatur, seduxit. Nam etiamsi indocti stolidique sunt, et figu- B 8  
 ram tamen hominis, inquiet, habere videntur et oratione sicuti homines  
 utuntur. Quid aliud quam amentia et ignorantia? Nam cum »e« parti-  
 25 cula graeca multas variasque habeat potestates, et hanc diasapheticam  
 ac solutivam, ut diximus, quoniam propter ignorantiam, quaenam  
 latine in ea significatione dicatur, capere nequiverunt, ad longe alienam  
 repulsi sunt. Sed cur, ait Cages, »vel« disiunctivam ubique in locis simi-  
 libus particulam tu posuisti? De hac enim nonnullis cum pueris, ut  
 30 solet, disseruisse ipsum audio. Nam disiunctivam semper esse »vel«  
 particulam putat, quae diasapheticam etiam ac solutivam vim possidet,  
 ut mox apertum faciemus.

Nunc pauca de multis verbis colligamus suis. Immo autem collecta 4, 1  
 in praefatione ab ipso Cage, quibus plurimum gloriatur, ut, qualia sint,  
 35 facile videantur, nos quoque perstringamus.

Substantiam latine dici non putat, sed pro vocabulo isto essentiam 2  
 aut naturam aut constantiam romanae auctor eloquentiae philosophiae-  
 que parens ipse posuisse ubique iactat. At nescio, quo te digno nomine  
 appellarim. Substantiae appellatione omnes tam philosophi quam theo- G 7<sup>v</sup>  
 40 logi non in alia usi sunt potestate veteres, quam iuniores utantur. B 8<sup>v</sup>  
 Nolo exemplis id ceteraque huiusmodi corroborare, tum quod longum  
 est, tum quod tam aperte in omnibus mentitur Cages, ut solum com-  
 monere opus nobis esse videatur, immo autem ne commonere quidem.

- Omnibus enim, qui nonnihil in philosophia perceperunt, haec apertissima sunt. Illud ergo nostri praecipue officii esse videtur, ut omnes hortemur rogemusque, ut diligentius, cum legunt, velint singula examinare atque perpendere. Quis enim non viderit maximam in philosophiam confusio-  
nem fieri, si non substantiae, sed essentiae aut naturae aut constantiae 5  
praedicamentum dixerimus? Quis porro philosophiam recte perdiscere poterit vocabulis rerum ita confusis, ut ad longe diversas, quam philosophiae auctores acceperint, significationes rapiantur? Res certe, dum legimus, non aliter quam verbis intelligere possumus. Quis ergo Cagem laudatoresque suos sicut Aristotelicae philosophiae perversores non 10  
oderit, cum ipsum in secundo physicorum libro Aristotelem audiat cum materiam, tum formam multo magis naturam esse, quod vero ex his compositum est, non esse naturam, sed secundum naturam? Quare,  
B 9 si ex materia et forma compositum natura non est, et substantia est, et quidem verius ceteris, ut Aristoteli placet. Quomodo intelligimus 15  
Cage interprete Aristotelem, cum pro substantiae vocabulo naturae scriptum inveniamus? Essentiam vero cur pro substantia dixit? Cur?  
G 8 Ut inextricabili confusione cuncta evertantur. Essentiam enim de accidentibus etiam dici, quamquam oblique, perspicuum est. Substantiam de accidentibus proprie dicet profecto nemo. Constantiam etiam pro 20  
substantia dicere se iactat. Pudet certe me tam pingua hodie graecorum hominum ingenia inveniri, ut ea rerum vocabula confundi a se non videantur videre, quibus omnia philosophiae fundamenta continentur. Quare aut non in vera Graecia natos dixerim, aut monstra Graeciae magis quam Graecos esse contenderim. 25
- 3 Estne igitur tanta inter haec differentia, dicet quispiam, ut aliud pro alio, etiamsi volumus, ponere non possimus? De differentia horum non datur modo tempus disputandi, nec certe prudentis esset propter vocabula, quae usus comprobavit ad altissimam harum rerum speculationem divertit, praesertim cum et Latini numquam essentiae, num- 30  
quam naturae, numquam constantiae, semper substantiae praedicamentum nominarint, et Aristoteles, quem interpretantur, numquam haec  
B 9<sup>v</sup> nomina pro vocabulo substantiae posuerit. Quare qui aperte praedicant nolle se in transferendo Aristotele sicut ipse verba capere, ii non aliud praedicant quam Aristotelem non converti a se, sed perverti. 35
- 5, 1 Nimium in singulis insisto. Quare brevius, quantum fieri potest, perstringendum. »Sunt, inquit, semper dicimus, numquam existunt.« At ista sic differunt, ut non semper recte »sunt« pro »existunt« scribi queat.
- G 8<sup>v</sup> Nam existere apertius manifestiusque, quasi e fundo emergat, apud Ciceronem significat, apud philosophos idem fere. Quod enim ex potentia 40

4 philosophiam B G

37 Theod. Probl. Praef.

in actum iam pervenit, quasi ex profundo emergerit, exsistere proprie dicunt. Esse itaque generalius est quam exsistere. Quod cum ita sit, quis ignorans adeo est atque insanus, ut praedicare audeat hominem non esse dicendum, sed animal? Profecto nemo praeter Cagem et  
 5 qui eum admirantur, quos stultiores esse necesse est. Dolorem tritissimum apud omnes verbum dicere recusat. Siderationem pro dolore dicendum esse consulit. Fanaticum hominem, qui monstra verborum solus excogitavit et se posse in philosophiam intrudere credidit! Quid, quod multa graeca graecus ipse homo contemnit et ignota praeponit  
 10 latina, quae non apud omnes, sed apud ignotum aliquem solummodo reperiuntur? Transversum saeptum dicendum censet, non diaphragma, B 10 abscessum, non apostema, quae nomina Celsus et primus et solus dixit.

At Cicero, ille romanae auctor eloquentiae, qui multo maiora  
 15 romanis litteris ornamenta solus contulit quam ceteri omnes simul, apertissime in topicis, ut opinor, et in tertio de finibus multa se graece dicere ait, non quia dici latine non possent, sed quia clariora usu graeca essent latinis. Tu, Cages, ignota penitus, quae numquam in usu Latinis fuerunt, certissimis graecis postergatis in mediam philosophiam compellis. Ille romanus orator atque philosophus, cum ad scribendum G 9  
 20 hoc maxime animum induxerit, ut patriam, sicut ipse testatur, linguam redderet ampliorem ornatioraque, Graeciae verba, quae magis consuetudo trivit quam Italiae, minus usitata deligebat. Tu graecus homo in tantam es versus barbariem, ut a Carmenta usque repetita verba, quae ipsorum Romanorum usus abhorruit, aut ab aliquo innovata nec  
 25 unquam in communem usum recepta quasi porcorum aut pecudum greges ad praeclaras philosophiae basilicas sicut in spurcissima fabula invehere conaris. Ille liber in scribendo sui que iuris verba graeca complectebatur. Tu addictus ad Aristotelis, sicut fidelem interpretem decet, sequenda vestigia usum communem in verbis illis aspernaris. Abscessa, B 10<sup>v</sup>  
 30 transversa, saepta, pituitosos biliososque dicere tu audes. Ille melancholicos semper, numquam biliosos atra, sicut tu, dicere sustinuit. Quamobrem? Quia sciebat biliosus verbum et novum esse et dici pro melancholico semper non posse. Cur ita? Quia, quamvis non angustior sit latina lingua in multitudine verborum, longe tamen latius graeca patet.  
 35 Quomodo? Quoniam tritissimum ipsi est, sicuti e centro verbum per convexa sibi omnia circumducere. Non vides, quo pacto. Attende igitur. Bilis atra melancholia dicitur. Biliosus latine bile repletus tantummodo dicitur. Quae res morbus est, non natura neque complexio. Id inde constat, quod ipse horum verborum innovator Celsus remedia biliosis G 9<sup>v</sup>  
 40 conscribit. Melancholicus vero graecum verbum, non atra laborantem

5 tritissimum B *supra rasura* tristissimum G | 7 fanaticum] phanaticum BG |  
 18 postergatis B G | 36 vides *scripsi* video B G

- bile tantum, sed naturam etiam atque complexionem designat. Recte namque melancholica natura melancholica complexio dicitur. Biliosa natura biliosa complexio dici latine non potest. Non enim, quia repletus quispiam bile sit, ideo huius complexionis est, — nam etiam sanguineae atque phlegmaticae complexionis homines repleti bile possunt — sed quia temperies corporis atque naturae suae huiusmodi est. Hac ratione
- B 11 Cicero, et dicendi et intelligendi praecipuus magister, pituitam quidem et bilem dicit. Pituitosos autem et biliosos quasi scopulum fugit. Quas ob res divinitus mihi medicorum philosophorumque usu factum esse videtur, ut etiam choleram, phlegma melancholiamque verba latinus sermo admiserit, ut, quando cholericam, phlegmaticam melancholicamque naturam complexionemve dicimus, unde haec verba fluant, percipiatur. Pituitosam enim et biliosam complexionem rerum natura repugnante dicere non possumus.
- 6, 1 Longior sum, quia docere instituereque hoc opusculo multos cupio. Nam quantum ad ignorantiam Cagis atque fautorum suorum pertinet, illud Ciceronis satis superque est, quod in primo de finibus, ne ineptam Epicuri garrulitatem despiciere videretur, scribit, immo certe praecipit. Praecepta enim ego Ciceronis omnia dicta et recte, ut arbitror, duco.
- G 10 »Philosophus, inquit, si affert eloquentiam, non aspernor, si non affert, non requiro. Re mihi satisfaciat.«
- 2 Quid illud? Quam absurdum, ineptum furiosumque est? »Naturalem, inquit, stomachi iecinorisque actionem, qua cibus conficitur in alimentumque vertitur, concoctionem, non digestionem dicimus. Quam vero Graeci anadosin, id est in singula membra alimenti accommoda- tionem, quam statim assimilatio sequitur, digestionem nominamus.«
- B 11<sup>v</sup> At hanc Cicero non digestionem, sed modificationem appellat, illam digestionem. »Digesto«, inquit primum, deinde addit: »modificatoque cibo.« Sic enim in libris de divinatione conscribit. Probae igitur omnes philosophi sic. Omnesque medici utuntur. Quod ratio etiam ipsa et sermo graecus confirmat. Digestio enim, ut hic capitur, est cibi in partes per naturalem actionem discretio, separatioque utilis ab inutili sic, ut in locum suum quaeque mittantur. Id primum in stomacho fit. Digeritur enim naturali actione stomachi cibus, parsque ad superiora effumat, pars ad iecur compellit, pars ad alvum, id est ad inferiorem ventrem, defertur, deinde in iecinorem. Huius enim virtute actioneque pars alimenti, quae illo fuit derivata, digeritur in partem aquosam, quae ad urinales meatus defluit, et numentalem (*sic*) sanguinem, qui ad venas derivatur. Ubi tertiam aiunt digestionem fieri, in qua similiter digeritur

2 melancholica G melanchonia B | 3 Non G Nam B | 10 melancholiamque G melanchoniamque B | 18 Epicuri G Epicurii B | garrulitatem] garulitatem GB | 26 statim scripsi statum GB | 33 mittantur G mictantur B | 37 partem G partes B

20 Cic. De fin. I 15. | 22 Theod. Probl. Praef. | 28 Cic. De div.?

per naturalem actionem alimentum, disseperaturque in partes, quae G 10<sup>v</sup>  
 per eandem actionem ad convenientia sibi loca utiles atque inutiles  
 dimittuntur. Anadosis autem haec non facit. Nec enim disgregat  
 utile ab inutili, nec aquosam a solidiore, nec grossum a tenui, quod  
 5 digestionis proprium est, sicut nomen quoque ipsum ostendit. In diversas B 12  
 enim oppositasque partes disseparare, discernere ordinareque significat.  
 Sed quod per omnes digestiones alimentum utile iam affectum est, id  
 singulis membris accommodat.

Permulum vero inter digestionem et distributionem atque accom- 3  
 10 modationem, quam Cicero modificationem, ut diximus, nominat, Graeci  
 autem anadosin, interesse pingue ingenium Cagis et bucinatorum suo-  
 rum arrogantia nescio si unquam videre potuerit. Distributio enim  
 atque modificatio totius in partes eiusdem rationis partitio est cum  
 accommodatione. Digestio nec accommodationem habet nec partes  
 15 eiusdem rationis, id est utiles partitur ac dividit, sed inutiles ab utilibus  
 discernit et separat. Sic digeri humores ante purgationem praeparatoriis  
 dicuntur, quoniam grossiores a tenuioribus secernuntur. Aut illi attenu-  
 antur. Hi condensantur. Sic apostemata epithematibus etiam Celsus  
 concoctionis suae oblitus digeri ait. Sic vina, sic mella non concocta,  
 20 sed digesta dicuntur, quoniam insita naturalique actione aliae ipsorum  
 partes ascenderunt excideruntque, aliae in fundum delatae resident,  
 aliae medium tenent. Quare digestio, quamvis absque insito calore G 11  
 non fiat, concoctio tamen non est. Nam rei, quae concoquitur, partes  
 non secernuntur a tenuibus, crossae ac faeculentae a puris. Id vero B 12<sup>v</sup>  
 25 partes rei, quae digeritur, omnino patiuntur.

Sed quid hoc altius rimamur? Videant de his medici, quos penitus 4  
 contemnit ac ut ignorantes rerum omnium despicit Cages. Nobis graecus  
 sermo et Celsus, quem ipse imitari quidem conatur, sed non intelligit,  
 satis superque faciet. Actionem in conficiendo cibo stomachi Graecorum  
 30 prisci alii synepsesin, hoc est concoctionem, alii pepsin, id est digestio-  
 nem, esse putabant. Verba enim rebus, sicuti oportet, non res verbis  
 accommodabant. Celsus quendam Tarentinum, ut opinor — non enim  
 certe memini — secutus, quoniam ille synepsesin stomachi iecinorisque  
 actionem esse censebat, concoctionem id ipsum verbum de verbo ex-  
 35 primens dixit. Cages, quid ipse arbitretur, alibi scribat nec Aristotelem  
 in crimen vocet, quasi ille concoctionem nominavit actionem, de qua sermo  
 est. Non enim synepsesin ille, sed pepsin dixit. Videte, videte omnes,  
 qui Cagem forte legistis aut lecturi estis, quomodo cuncta sibi confun-  
 duntur. Aliud dicit Celsus, aliud Aristoteles. Celsus concoctionem ac  
 40 synepsesin esse arbitratur id, quod Aristoteles pepsin ac digestionem B 13  
 esse censet, deceptus fortasse, quia digestionem coctio quaedam semper  
 antecedit.

6 Ignoras, ignoras, o Cages, quid officium interpretis sit, quid hominis  
 G 11<sup>v</sup> sua scribentis. Hic sua exponit, ille aliena in aliquam linguam fideliter  
 refert. Tu Aristotelem ad Celsi sententiam ignorantissime trahis et  
 philosophiam eius in tuam vertere conaris et tua non Aristotelis legi  
 efficere studes. In longe namque alienam rem Aristoteles inique abs 5  
 te distorquetur. Meliores habet latina lingua philosophos, quam con-  
 siliarii tui et tu sis. Ii rebus vocabula usu approbata tribuunt atque  
 accommodant, idque ceteros facere hortantur, et non facientes indoctos,  
 inanes, futiles, invidos, audaces, temerarios, leves, lucifugos, maledicos,  
 monstrosos arbitrantur. Quas ob res crede nulli te umquam prudenti et 10  
 tui ac tuorum dissimili satis facturum. Vident enim omnes, quam igno-  
 rantissimus atque impudentissimus una cum omnibus tuis sis. Intelligunt  
 non verborum te solum, sed rerum etiam multo magis esse innovatorem.  
 Non sunt nescii, quo tendat tua haec atque tuorum petulantia. Aristoteli-  
 cam disciplinam funditus, quantum in ipsa est, subvertit, philosophiam 15  
 B 13<sup>v</sup> radicitus ex usu hominum evellit. Non magis verba quam res novas  
 inauditasque sub auctoritate Aristotelis promulgat. Quod utrum igno-  
 rantia facias, an stultitia, vel potius utroque huiusmodi vitio animi,  
 aliorum sit iudicium. Vide, quam prudens sis. Quae quadrigentorum,  
 ut ipse scribis, annorum frequenti usu consuetudo trivit, ea tu revocasse 20  
 ac in melius vertisse iactas. Nec illud Horatii te movet, quo ut ceteri  
 praeter te omnes ad consuetudinem verba omnia refert:

G 12 «Multa, inquit, renascentur,» «si volet usus,  
 quem penes arbitrium est et vis et norma loquendi.»

Plus tamen multo, quam profiteris, facere conatus es. Longe nam- 25  
 que aliter accipere paene omnia non negas, quam nullus umquam acce-  
 perit. Substantiam non dicis, quod Augustinus et Augustino vetustiores  
 scribunt. Naturam, essentiam, constantiam pro substantia ponis. Pri-  
 mum non vides, quam stultum sit generalissimum praedicamenti unius  
 tot appellationibus nominare. Deinde cum singularia quaeque substantia 30  
 sint, natura non sint, cum essentia de accidentibus quoque dicatur,  
 substantia minime, cum constantia virtus vel convenientia sit, sub-  
 stantia non sit, primi generis cognitio, quantum in te est, de medio  
 B 14 per confusionem tollitur. Siderationibus, biliositatibus, concoctionibus  
 Aristotelis referta, proh fidem hominum, volumina sunt, quamvis de 35  
 hoc ultimo queri debeat. Nemo rectae namque homo popinae coquendi  
 verborum amplectitur tantique facit, ut vix alio diverti queat. Sed de  
 verbis seorsum satis, quamquam satis dici non possit.

21 Horatii G Oratii B | 30 appellationibus G appellationis B

23 Horat. Ars poet. 70. 71 sq.

Nunc quam perperam philosophi problemata intellexit, quantum-7, 1  
que omnia depravavit, paucis ostendamus textus de suis quosdam  
praeponentes et nonnumquam veteri traductioni conferentes, unde, duri-  
ties quoque orationis suae atque obscuritas Carmentalis quanta sit,  
5 intelligi forsitan poterit, et verba minime rebus accommodari facilius  
apertiusque cognoscentur. Primum igitur problema statim, deinde, ut G 12<sup>v</sup>  
forte obtigerit, pauca e multis proponemus.

»Cur, inquit, exsuperantiae nimiae committendi morbos vim habe-2  
ant? An quia vel excessum vel defectum efficiant?« O rudem atque  
10 indoctum hominem et latinae linguae, in quam Aristotelem pervertit,  
non convertit, penitus ignarum! Rei certae rationem quaerit Aristoteles,  
et iste rem certiore subiunctivo expressit verbo scribens: »Cur exsu-  
perantiae vim habeant committendi morbos.« Id in multis facit, in  
nonnullis etiam verbo indicante usus est. Quod ostendit eum nil de B 14<sup>v</sup>  
15 compositione latinae orationis intelligere.

Doceamus ergo ipsum, quamvis ingratus sit, traductionesque nostras 3  
etiam cum utilitate malevolorum atque invidorum defendamus, quamvis  
non dubitem multos eam nobis gratiam relatores, quam Thales ille  
Milesius postulabat. Nam quando ab eo quaerebatur, quaenam esset  
20 pro doctrina merces deponenda, sic respondere solitus fuisse dicitur:  
»Si profiteberis a nobis didicisse, dignam nobis mercedem reddideris.«  
Quando igitur res certior est patetque per se, nec ipsam quasi ambiguam  
suspendere scriptor velit, indicativo, quando autem incertior res est,  
aut, quasi incertior sit, suspendendam scribens putet, subiunctivo uti-  
25 mur modo. Cur ieiunas in die passionis Domini? Et quis eo die non  
ieiunaret? Cicero in primo de finibus: »constituam, quid et quale sit G 13  
id, de quo quaerimus«, et subdit: »quaerimus igitur, quid sit extremum.«  
Et paulo post: »Hanc ego cum teneam sententiam, quid est, cur verear,  
ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros?« Item: »Quae  
30 fuerit causa, mox videro«, et subiungit: »Quid ex eo est consecutus?  
Laudem et caritatem.« Sed nostris libentius utemur exemplis, tum  
quia res per se patet, ut non nisi commonitione opus sit, tum quia facilius B 15  
nobis ac brevius est. Cur fecisti heri sic? Et quare non fecissem? Cur  
iam pridem ad me non venisti? Quia nihil erat, cur venire deberem.  
35 Quando igitur quare, cur, quamobrem procedit, tunc indicativa oratio  
rem esse certissimam monstrat et rationem quaeri significat, quare homo  
est substantia, cur animal de homine praedicatur. Subiunctiva vero  
contra ipsam rem ambiguitate nimia in oppositam negationem retor-

9 efficiant] efficiantur B | 17 malevolorum] malivolarum B | 18 Thales G Talles B

8 Theod. Probl. I 1. 415 a. | 21 Apuleii Flor. 18. (ed. Helm p. 37, 10) |  
26 Cic. De fin. I 29. | 28 Cic. De fin. I 35. | 29 Cic. De fin. I 35.

Mohler, Kardinal Bessarion. III.

quet. Nam sicut qui dicit, cur homo animal sit, negare videtur hominem animal esse, sic qui respondet immo, cur homo animal non sit, negandi vim inclusam rursus negavit et ad affirmationem se retulit.

- 4 Quas ob res liquida Cages omnia paene philosophi problemata subiunctiva oratione interrogando proponens in contrarium rapit. Nam cum 5 dicit: »Cur exsuperantiae committendi morbos vim habeant? Cur mutationes morbos vel finiant vel committant?«, nec exsuperantias habere vim ad committendos morbos nec mutationes ad finiendos vel com-
- G 13<sup>v</sup> mittendos orationis compositione ostendit. Videte, quaeso, qui eum legitis, quomodo per ignorantiam aut potius amentiam cuncta evertit. 10 Nec enim abstrusum atque abditum est, quod dicitur, nec longis
- B 15<sup>v</sup> grammaticorum indiget institutionibus. Natura sic omnes loquuntur. Nec qui aliter loquitur, rationis particeps esse videtur. Quod pueri quoque vident, id Aristotelis interpretator Cages non videt. Disce litteras, puer. Cur discam? Veni huc. Cur veniam? Noli ludere. Quare 15 non ludam? In omnibus enim his nullam esse rationem, quare discere, venire, non ludere debeat, ostendit oratio. »An, inquit Cages, quia vel defectum vel excessum efficiant?« Efficiant recte hic, quantum ad orationis compositionem. »An« enim dubitandi apertius vim a superiore compositione contraxit. Sed res universa subvertitur. 20
- 5 Deum testor et conscientiam meam nullo me moveri odio magis adversus hos ignorantes quam veritate rerum et philosophiae amore, quam evertere per ignorantiam et dementiam student. Neque convincior, ita mihi Deus propitius felixque sit, ut vices iniuriarum reddam, sed quia magnitudo ignorantiae atque stoliditatis suae tanta est, ut, qui 25 non dedignetur, praeter eorum similes sit nemo, nisi forte perversiones suas nec legerit nec intellexerit. Ego autem cur dedignatione, quam maximam possum capere, non afficiar, praesertim qui haec scribo, ut
- G 14 non alios solum, verum etiam ipsos invidos malevolosque meos ad meliora veraque litterarum studia philosophiaeque reducam? Ignoscere 30
- B 16 igitur omnes lecturi debent. Nam si magistros, qui adolescentes, ut discant, tum verbis, tum vero etiam verberibus vexant, laudibus non parvis afficere consuevimus, cur ego in re tam necessaria nec minus Cagi ac suis utili, nisi bestiale omnino ac indocile ingenium habeant, veniam non impetravero? 35
- 6 Quis credat igitur, o amatissimi homines, cum interrogaverit Aristoteles, cur res ab eo proposita sic fit, aut quare hoc vel illud ita se habet, rei vel ipso sensu certioris — id enim problema est, ut diximus — rationem statim sibi ipsi dubiam subiecisse? Non dico hoc, quia ipse quoque homo non fuerit. Homo certe fuit, et se ipsum recte 40

4 liquida *scripsi* liquido G B | 12 loquuntur G locuntur B | 29 etiam B] G *om.* | invidos B invidiosos G | malevolosque] malivolosque G B

6 Theod. Probl. I 1. 3. 415 a.

cognoscebat hominem esse, qui errare potest. Ideo nonnumquam, quasi ambiguitatem rationum videret, statim afferebat, utrum quia sic, an quia sic esset. Tu Cages fere in omnibus ipsum dubitasse ostendis, cum et res sensu notissimas ambiguendo proponas et rationes subiunctive, 5 id est dubie, subiicias. Quae res tum ab auctoritate scientiaque Aristotelis, ne dicam ab omnibus, qui mentis compotes sunt, tum ab officio docentis alienissimum est. Nonnumquam tamen Cages, quoniam nihil certius sciat, rationem verbo indicante subnectit, ut statim in secundo problemate: »An, quoniam causae, quae morbos committunt, adversae 10 inter se sunt«, quod etiam in proponendo per interrogationem facit. B 16<sup>v</sup> Nam modo subiunctivo, nonnumquam indicativo, quasi nihil intersit, G 14<sup>v</sup> varietatis causa utitur. Ita plura sunt vitia in sermone suo quam verba.

Propositiones igitur problematum, quia res vel sensu ipso patentes 7 proponuntur, ne subdubitasse quidem scriptor de rebus tam claris atque 15 dilucidis videatur, indicando proferendae, rationes quoque similiter omnes. Nam etiam quando »utrum« aut »an« praeponitur, res quidem ambiguae subiunctivo pronuntiantur. Quando certi quiddam subostendere volumus, eas indicando absolvimus. Utrum vis, faciam; id est alterum, quod certe vis, faciam. Utrum velis, faciam; hoc est alterum, quodcumque 20 volueris, faciam. Cicero in primo de finibus: »Utrum igitur percurri omnem Epicureorum disciplinam placet, an de una placet voluptate quaeri, de qua omne certamen est?« Idem in ultimo de finibus: »Utrum igitur tibi non placet, inquit, virtutis tantam vim esse, ut ad beate vivendum se ipsa contenta sit? An si id probas, ita fieri posse negas, 25 ut ii, qui etc.« Idem in eodem: »An ne hoc quidem Peripateticis concedis?« Terentius in Adelphoe: »an quicquam etiam est amplius.« Certius enim quicquam hic capitur, quod sequentia ostendunt quiddam amplius esse affirmantia. Respondetur enim: »verum amplius«. Praeterea Cicero ad Herennium ubi de genere deliberativo agit, »ut si consulat Hannibal, B 17 30 cum ex Italia Carthaginem accersitur, an in Italia permaneat, an G 15 domum redeat, an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam«. Dicas haec, quae ambigua sunt, indicative et videbis aperte insaniam Cagis, qui haec indifferenter conscribit: ut si consulit Hannibal, an in Italia permanet, an domum redit, an in Aegyptum profectus occupat Alexan- 35 driam. Vides nihil huiusmodi oratione contineri. An non ipsae quoque aures iudicant huius sermonis barbariem atque inconstantiam?

17 Quando G Quas B | 23 virtutis] virtutisne *ed.* | 26 Adelphoe] adelphis G B | 28 verum G B vero *ed.*

9 Arist. Probl. α' 2. 859a, 7. ἢ ὅτι ἐναντία ἀλλήλοις τὰ τὴν νόσον ποιοῦντα. | Theod. Probl. I 2. 415a. | 20 Cic. De fin. I 28. | 22 Cic. De fin. V 77. | 25 Cic. De fin. V 93. | 26 Terent. Adelphoe 468. | 28 Terent. Adelphoe 469. | 29 Cic. Ad Her. III 2, 2.